

IN FVNERE
LÆLII FALCONERII
S.R.E. CARDINALIS
TITVLI S.MARIÆ DE POPVLO
ORATIO
HABITA
A CAROLO BOVIO E SOCIET. IESV
IN TEMPLO S. IOANNIS
NATIONIS FLORENTINAE
DE VRBE

xi. Kal. Martij. MDCXLIX.



Romæ, Typis Ludouici Grignani. *MDCXLIX.* *Superiorum Permissu.*

IN FVNERE
LAELII FALCONERII
S.R.E. CARDINALIS
TITVLI S. MARIAE DE POPVLO
ORATIO
HABITA
A CAROLO BOVIO E SOCIET. IESV
IN TEMPLO S. IOANNIS
NATIONIS FLORENTINAE
DE VRBE
xi. Kal. Martij. MDCXLIX.



[illegible] Typis [illegible] MDCXLIX. Superiorum Permissu.

ORATIO.

ANGVSTO vixit in censu quicunque, vt naturæ debitum soluat, totus in morte soluitur, & perit: Auditores. Multum immortalitati debet humana mortalitas, in quam & coæui ius habent, cum viuit, & posteri, cum iam fuit. Ità nos nobis in mortem gignimur, alijs nascimur in exemplum. Magnum sanè debitum, cui qui soluendo non sit, ille carceris æterni reus vnius angustijs sepulcri totus includitur; eodemque fato in puluerem cadauer abit, & nomen. LÆLIVM CARDINALEM FALCONERIVM, immortalitatis Heroicæ in Vaticana Purpura candidatum superior annus Dominica inter natalitia iam iam moriturus morti dedit. An illum posteris totum eripuit, & ex tanto Principe nullas habemus viuas, viuacesq. in morte reliquias? Totusne ille tantus occubuit? totus excessit ex oculis? tota magna illa sub terras iuit imago? At ignaui nos sumus;

 si

si omnibus omninò collapsis maiestatem hanc molis attollimus: si algentibus vmbris ardentes faces accendimus: si solutis membris cœnotaphia componimus; &, dum surdi manes silent, vocibus implemus Odæa pariter, & suggesta. Immò verò minimum illud est, quod amisimus, magnum superest, quod tenemus. Extra mortis aleam immortalia nobis reliquit LÆLIVS suarum monumenta virtutum: in hoc squallentium vmbrarum theatro candidum nobis vitæ suæ spectaculum facit: & qui corpore totus abiuit ex oculis, totus in animos incurrit exemplis. Parcite modestissimi Principis manes, & vos modesti, si exigentibus posteris LÆLII nomine debitum exempli commune dum soluo eius virtutum, & integritatis gloriam in medium huc, & publicum voco, qui laudanda potius optauit semper gerere, quàm laudari. Verùm erraui: quandoquidem auctore suo extincto virtus extra periculum est ambitionis, atque superbiæ; parcite potius, si vestræ modestiæ parere cogar inuitus: & absolutæ, vltimæque manus ignarus, tantæ virtutis gloriam rudibus dumtaxat, informibusque lineis, hoc est huic vni vmbrarum pompæ concoloribus adumbrabo. Non ero vobis ex omni parte dissimilis: Qui splendorem vitæ repræsentare non possum, imitabor funus.

Age verò, ducamne primam hanc in imagine LÆLII vmbram à splendore natalium?

Et

Et quidem ad virtutis Solem Maiorum nobilitas vmbra est, cum in longum sanguinem, & antiquas ceras virtus nolit inspicere, sitque ex se ipsa satis illustris ad similitudinem Dei, cuius summa nobilitas est sine Auis, & Proauis: **magno documento, diuinum esse nobilitatem facere, non accipere**. Quamquam nobilitatem accipiendo clarissimam, qui splendoribus, & quidem conspicuis auget, magnum aliquid, & plus etiam, quàm qui primò excitat, facit: quemadmodum plus est conspicuæ lucis incrementum adijcere Soli, quàm accensa face nocturnas tenebras illuminare. An verò clarissimæ nobilitatis in domo natales suos non habuit LÆLIVS, quam supra quadringentos annos FALCONERIVS fulgor illustrat? At Florentinum salutatæ Virginis Templũ CLARISSIMVM FALCONERIVM suum salutat adiecto ad tumulum Elogio fundatorem: At Septemuiratus ille Eremitarum, Seruorumque Beatæ Virginis Ordinem fundantium B. ALEXIVM FALCONERIVM vnum laudat, ex septem. At B. IVLIANAM eiusdem Ordinis Tertiarijs, vt appellant, fœminis eadem FALCONERIA domus adscripsit; cuius vitæ sanctimoniam sacræ hostiæ suo veluti sigillo consignare voluit Deus, cum Virgo extremo laborans morbo impeditis faucibus sacro Eucharistiæ ferculo recreari non potuit; quæ tamen augustissima hostia à Sacerdote Virginis pectori

supra cor admota, in apertis deinde præcordijs visa est indubitanda forma, manu, prodigioque diuinæ Caritatis, expressa. At CONTIO è MEDICEIS armorum gloria Duci fortissimo nuptum iuit NENTES FALCONERIA, hoc est CLARISSIMI MEDICEI Fratri, qui per AVERARDVM filium Mediceorum Pontificum, & Magnorum hodie Ethruriæ Ducum sobolem augustam dedit. At PAVLVM FALCONERIVM Atauum habuit suum LÆLIVS in Florentina Republica Vexilliferum, cuius in Vrbis Florentissimæ Annalibus testimonio Ammirati FALCONERIA domus inter potentissimos Ciues cum honore adscribitur, & laudatur. Et ne quid in altero etiam sexu desit, ex ALBITIORVM Familia nobilissima LÆLIVS habuit, Matrem; vt verè nascendo in lucem prodierit, & Solem, qui in tantum domus FALCONERIÆ splendorem à se augendum venit.

Sed hæc tamen omnia fluxerunt in sanguinem. Animus Maiores non habet, & suis ipse virtutibus tota sibi posteritas est; ad quam nemo, nisi qui vult, viuit effœtus. Parentem quiuis animus parem habet Deum: parem sobolem non quiuis animus habet, virtutes: contra verò quàm solemus in corpore nobilitatem animi, non à parentibus sumimus, sed à prole, cuius tota completa nobilitas est, cum in morte sobolem virtutum omnem expleuit. Si quid verò

Ma-

Maiorum ſplendori fulgor animi debet, illud eſt, quòd in antiquas imagines intuendo, ad eorum ſimilitudinem ſuos animus formare virtutum partus ediſcit: quod in corporis etiam ſpeciem aliquando tranſiuit, cum Æthiopum Regina illa nigerrima ex atro etiam Rege Coniuge candidum enixa filium eſt, quia in pendentes è regij cubiculi parietibus picturas candidas plerumque ſuſpexerat. Et puerorum ætas præcipuè quemadmodum infirmis greſſibus, non arbitratu ſuo, & liberè, ſed alieno nutu deducentium reptat in manibus, ità non libertate conſilij, ſed tanquam propoſita norma illud idem imitando agit, quod à ſuis geſtum vel audit, vel videt. Quid verò in LÆLIO ætatulæ illius Aurora deſiderauit, quod ad optimæ diei omen faceret auſpicatiſſimum? An ingenuæ candorem indolis? An pudoris modeſtiſſimam purpuram? An pietatis tenerrimæ rorem? An innocentis animi ſerenitatem? At hæc ſimul omnia ità LÆLII adoleſcentiam exornarunt, vt maiorum ſuorum ſidera omnem in illum viderentur virtutum ſuarum gloriam exſudaſſe. Quid Maiores dico? Integritatis caſtiſſimum rorem è Cælo demiſſum à Deo LÆLIVS tunc animi ſui concha concepit, clauſit, fouit, & in margaritam formauit nullo vnquam vitæ ſuæ tempore corrumpendam. Neſcio quid conſultus obſcurè dico, nam & occulto, ſed non leui ſæpius argumento LÆLIVS

 indi-

indicauit, hanc in ipso candidam latere gemmam, cum & in hac vltima ætate sua ad quædam scelerum auditorum nomina hæreret ignaro similis, tàm vitijs ipsis infestus, vt neque ipsorum nomen, & notionem teneret.

Igitur, qui vitia sic exclusit, quid admisit? Integritate morum comite semper, & duce, palæstras ad bonas artes, & litteras frequentauit. LÆLIVM proinde Iurisprudentia Perusium erudiuit: imbutum scientia legum Doctoris laurea coronarunt Pisæ: reuertentem Roma in causarum patrocinium adoptauit. Suffragia sapientiæ quæritis approbatæ? Tot calculis acclamatus est LÆLIVS, quot munera dignitatum obiuit: Quàm verò multa obiuit? quàm illustria? quàm spectanda? Referendis iustitiæ, gratiæque libellis LÆLIVM PAVLVS QVINTVS addixit: Præfecturis gerendis Septempedam, Spoletum, Beneuentum iuit: & QVINTIDECIMI GREGORII iussu Maritimam oram Campaniamque simul moderatus est. Tùm VRBANI OCTAVI nutu inter Præsules consultationũ fuit Generalis Prouinciarum Vmbriæ, Æmiliæque Inquisitor in comitijs de bono Regimine Pontificis eiusdem approbationem retulit, atque præconium: Thebarum ad Infulas euectus est Archiepiscopus: & Pontificius in Belgium iuit Orator. Sed grauissimo reuocante morbo postquam summis honoribus

ex-

exceptus in itinere vbique fuit, Romam reuer-sum Comitia, quæ in Episcopos, & Ordines Religiosos habentur, habuere LÆLIVM à Secretis: Tùm & Pontificiæ ditioni lustrandæ, & sacrorum, Ecclesiæque immunitati tuendæ; & Hæreticæ quærendæ, damnandæque prauitati FALCONERIVM grauissimi Præsules accepere Collegam. Quæ munera cum dixi, videor mihi non aliter esse locutus, atque cum Terrarum Orbem per plena quędam Prouinciarum nomina nuncupamus: vt, quemadmodum ij tantùm nominis Europæ magnitudinem, & maiestatem intelligunt, qui suas in ingentes partes illud amplissimè partiuntur, ità hæc tàm multa, quæ LÆLIVS obiuit, quanta sint munera, ij tantùm nouerint, qui implentem dignitates has negotiorum grauitatem, & multitudinem distinctè, ac singillatim animo complectuntur. Interrogate iam LÆLII Collegas; dicent, vt equidem ab aliquo eorum audiui, capacitatem illam mentis, & vires adijcient, qua prudentia, qua fide, qua sapientia res omnes acciperet, ageretq. vt non semel in propositis causis LÆLIO dixerit VRBANVS multum à se ipsius sententiæ tributum iri, quam constare semper sciret cum sapientia pariter, & integritate. Et verò quid illam flexit vnquam LÆLII mentem, vt sententiam, quam conceperat, ratioque dictabat, vel ad voces venire non fineret, vel aliqua ex parte à rectam

cto produceret inclinatam? An magnorum metus virorum, qui causarum veniebant in partes? Sed ante omnem omnium potentiam vnum ipse timebat sese, Iudicemque humanarum mentium, & consiliorum Deum. An rei suæ immodicus amor, atque cupiditas? Sed ante quæstum omnem, & opes thesaurum volebat in tuto censu locatum, Integritatis, atque Iustitiæ. Nunquam ex ore vox, nunquam è calamo littera fluxit, quam æquitas auditam nollet, aut lectam. Quod poterat, iustam sententiæ seueritatem mollicbat stylo, illamque sine fronte superciliosa; trucique procedere iubebat facilem, & ornatam; ità ad suauitatem factus, vt eum, in quem iura pugnabant, si absolutio libera non erat, damnatum quidem vellet, sed non offensum.

Igitur aduersus Præsulem in omni semper munere gesto tàm integrum, vt Pontifex Optimus, Maximusque VRBANVS OCTAVVS, & iustus esset, & gratus, LÆLIVM in album retulit Vaticana in Sede Principum Purpuratorum. Quid hic LÆLIVS? Ad purpurei galeri nuncium, & nomen exclamauitne hiantibus votis, & vocibus: Expectate venis? Nouum illud ostrum eratne iam animo antiqua expectatione detritum? immò verò statim atq. collatam in se amplissimam dignitatem audiuit, familiaris sui dixit in aures, à se quidem visam per aliquot ante dies inusitatam erga se Pontificis beneuolentiam, ex ea tamen

men (vt summa quæque sibi polliceretur) multò certè minora expectare potuisse illâ, quam acceperat, dignitate. Quærite iam, quid LÆLIO secum attulerit purpura. Stipare consueuit dignitates turba; in hac verò plus semper fuit vitij, quàm virtutis. Quid enim? quæ paulò ante mœnia quibusdam à vitijs nec dignabantur aspectu, mox ijs redūdant atria, implentur aulæ, premuntur cubicula, intrant ambitio, adulatio, voluptates, fastus, & dignitatis nouæ moles magna constat ruina virtutum: adest qui repente ad aures Principis hortator immurmuret:

Sanctitas, pietas, fides
Priuata bona sunt, quà iuuat Reges eant.

Sed enimuerò præter muricis accepti colorem quid in LÆLIO mutatum est purpurato? Abijt ne ambitiosum in fastum modestia? Contemptor animus, & superbia commune nobilitatis malum: Principum familiarius est, & vt ità dicam consanguineum. Hìc verò non ad familiarium fidem prouoco, vel paucorum. Bononia omnis, in qua Legatus pro Vaticano Pontifice fuit, interroganti respondeat. Quis, non inquam nobilium virorum, sed aut minorum ciuium, aut plebis, & vulgi facilem semper aditum non inuenit ad LÆLIVM? Quis surdis auribus voces effudit ingratas, quia non aureas? Quis non spectatus abscessit, quia spectabilis non intrauit? Nullæ ab audiendis supplicibus erant LÆLIO

feriæ: nemini contumaces obsistebant fores, aut obstinata siparia vultum Principis eo faciebant dominé pretiosum, quia rarum. Adibant LÆLIVM calamitates, adibant diffidia, adibant querelæ, litesque, & meliori semper, quàm venerant, vultu redibant; vt si minus integram opem, ac præsens remedium, solatium certè non leue ab animo, ab ore Principis reportarent. Dignabatur omnes, acceptam ab omnibus salutem admittebat gratus, & reddebat nutu: hilaritatem etiam consuetudinis suæ adiectis non rarò sapienter salibus condiebat. Humano sanguini, quoad sine populi, Iustitiæque damno potuit, semper conatus est parcere: gnarus frequenti vindicta paucorum odia reprimi, omnium irritari. Quin etiam si quos ipsorum scelera pertrahebant ad cædem, pereuntium vitæ litabat sua prius misericordia, mox etiam in eorum salutem ipsa supplicij die sacris mysterijs operabatur ad aras: neminem vnquam à se capite damnatum huic mortali adimens vitæ, cui ad alteram cælestis patriæ immortalem idem ipse sacra hostia opem suam, atque suffragium non afferret. Tanti est boni Principis iussu & viuere, & mori, vt eius beneficentiæ, & qui viuunt debeant, & qui moriuntur. Quamquam ad hunc vltimũ hominis actum non nisi vltimo remedio LÆLIVS veniebat: hoc etiam ostendens, neminem à se libenter damnari, quia non citò: eamque dumtaxat ob

rem

rem perniciosam populo à se partem secari, quia mitiori cura sanari non poterat. Odia proinde Ciuium & simultates iam iam venturas in sanguinem, auctoritate simul, & dexteritate sua, præsentissimo veluti gladio iugulabat, vt ciues à suis inuicem iugulis abstinerent. Dignum eo Principe facinus, qui non materiam puniendo quærebat; vt per aliorum damna lucra faceret sua; & iniquâ sententiâ non populo prodesset mulctâ, sed sibi. Exterorum Equitum aliquando par nobile, magnam Bononiensium Ciuium nobilitatem trahens vtrinque secum in partes, mox inter se singulari certamine dimicaturum, suas euocauit in ædes, diuisit cubiculis, alloquutus est singulatim, auctoritate aggressus est, suauitate deliniuit, rationibus vicit, amicos postridiè, beneuolosque dimisit. O Prudentiam, ò Caritatem Principis singularem! Quid viri illi magnanimitate simul, ac sanguine nobiles tanto abeuntes cumulati beneficio in ædibus LÆLII reliquerunt? Ea tantum, quæ lucris omnibus anteponebat LÆLIVS, odia sua; vt mutuam inter se beneuolentiam, & amantissimi caritatem Principis exportarent. Videte iam, an apud illum diuitiæ facerent, vel augerent crimen: an ab eo locupletior quisque raperetur in prædam: an potius alienis parcens fortunis, omnium posset amore fieri fortunatus.

Sed, qui aliorum sedabat iram, an irritaret suam?

Enim-

Enimuerò nunquam indignantem animum repressisse visus est LÆLIVS, quia indignari quodammodo nesciebat. Et in eo mentis humanissimæ Cælo, quemadmodum in altiore Mundi parte, atque propinquiore sideribus, neque densantur nubes, neque tonitrus sonant, neque fulmina accenduntur; ità in ipso perpetua quies fuit, atque serenitas, & dulcissimus exauditus tantùm est omnium concentus, suauitasque Virtutum. Neque verò eam in FALCONERIO facilitatem, clementiamque fuisse velim puteris, quæ non esset cum fortitudine, constantiâque coniuncta. Periculum vtrinque auctoritati est, cum apud populum vel in odium seueritas, vel facilitas degenerat in contemptum. Ergo fuit ille tàm recti tenax, tàm in consilijs aliquando susceptis immotus, vt nulla vel arte, vel vi, nisi melior accessisset ratio, abduci aliò posset, aut dimoueri: Sapiens propterea non superbus, qui posset, vellerque mutare consilium in melius; saperetque ità pro multis, quia sciret sapientia vti multorum.

Iam verò nullibi se Sapiens magis prodit, quàm in ferendis fortiter difficilibus, & perfringendis. Atque in hoc, vt in plerisque alijs argumentis Soli similes intelligo Principes esse, qui quamquam è dignitatis suæ Cælo Mundum omnem iacentem spectabiles ipsi despectant, ijs tamen, quemadmodum de itineris sui via Sol dixit:

per insidias iter est, formasque ferarum. An

An verò caruit LÆLIVS, quibus & virtutem suam,& sese aduersitatibus experiretur? At nemo bonus placere omnibus potest: cum ex omnibus multi sint mali, quibus ità semper inuisa virtus est, vt ab ipsis tamen expediat non probari. Potuit aliquando LÆLIVS, cum pro Vaticano Pontifice Orator esset in Belgio, ex capienda mox, diripiendaque ab hostibus Vrbe, sua cum familia mari profugiens, suis omnibus captis, captiuisque abreptis cum vno ex Fratris sui filio, relinqui solus in cymba: & cum ipsa in LÆLIO natura ex tanto discrimine vehementissimè laboraret, vbi tamen vires suas, imperiumque potuit liber animus ostendere, ne vocem quidem è pectore soluit, non ad iram dico, sed ad querelam, & si ab alijs victus, sed victor sui. Tanta virtus non habuit spectatores; sed conscientia Virtuti satis amplum theatrum est.

At ego Sapientiæ audiueram esse lapides ipsos in homines vertere, ac expolire: sed Stoicus ille Zeno Philosophiæ artibus homines cômutabat in lapides: nimirum neminem voluit appellari Philosophū, qui contra fortunam, & infortunia, contra calamitates omnes afflictatæ mentis, & corporis, omnes ex animo affectus radicitùs non extirpasset. Phalaridis in tauro, adiecit amplius ille popa cæteroquin, ac victima voluptatū, si intrà candentis illius æris viscera Sapiens peruratur, vt virtute pari suo constet nomini, magnam pro gemitu

mitu vocem tauro mugiente profundet: Dulce est, ad me nihil pertinet. Nescio quàm sapienter dixerit, qui sic tantùm fieri voluit sapienter. Sed tamen ad hanc etiam fortitudinis inuictæ gloriam sese prouexit LÆLIVS, & lanienæ genus, quod absterrere vel narrando possit, tolerauit interritus. Laborantem calculo extremus dolor extremam etiam vrgebat in diem. Calculo inquam? Dira mors calculis septem in vltimum LÆLII fatum suffragia non solum nigra dederat, sed cruenta. Mors ergo certissima anceps fieri tantùm poterat, si ad calculos educendos cultro aperiretur via. Ne multis atrox supplicium, & in ipso morbi genere nouas ob difficultates ad calculos inueniendos, frangendos, educendosque atrocius, in secto corpore tàm integro excepit animo LÆLIVS, vt vnus ipse pateretur vulnus, & tormenta, alij tantum horrerent. Tantus sanguis (quod cum admiratione oculati testes affirmant) vnam non expressit lachrymam: tam laxum vulnus ne leuiter quidem os ad clamores inconditos aperuit. Octo ipsi cruenti omnes calculi mole sua vulnere per quod erant educendi, maiores, forcipe immissa quæsiti, fracti antea, & demum extracti, nihil marmoreã illam in LÆLIO fortitudinem, constantiamque fregere. At ipse plerumque cruciatuum apparatus, cultri, forcipes, ignes, vnci, mitiora etiam his, amarulenta

phar-

pharmaca, ſcapelli, cucurbitulæ ſubtrahi vulgo ægrotantium oculis conſueuere, ne non illi morborum remedia conſtanter ſatis, aut patienter ferant. Qui verò lanienam ſui, vt perita maximè manu Magiſter incidat, ſæuiſſimam tamen, & ipſa temporis longinquitate horribilem, non attonitus, inquam, aut ſtupens, at ſibi maximè præſens, fortiſque admittat, & ferat huius ego animum auſim ad Heroicæ fortitudinis Olympum attollere; cuius in vertice quies eſt, atque ſerenitas, tunc etiam cum ſubmiſſiores in ipſo partes, inter procellarum, & fulminum fragores, iraſque franguntur, & ruunt.

Creditæ iam ſi poteſtis ad delicias mollem, quem durum adeò tàm immania inuenere tormenta. Non ſtetit vnquam tanta cum voluptarijs, & delicatulis fortitudo, neque cum hac Virorum gloria conſtant, quos deliciarum amor effœminat. Quamdiu cum clauâ fuit Hercules, colum cum mulieribus non tractauit: Viciſſent illum monſtra poſt fœminas; & poſt delicias inane fuiſſet nomen, labor. Atque vt cætera in hoc integerrimæ ſeueritatis genere de LÆLIO taceam, Leonem totum, vel ex hoc vngue cognoſcite. Suis è familiaribus neminem paſſus eſt LÆLIVS apud ſe ſupra cæteros gratioſum: neminem, cuius amor vnius arcanâ conſtaret inuidiâ, odioque multorum; ratus infelices eſſe beneuolentiæ ſuæ opes; niſi illas fa-

ceret, omnibus communicando, beatas. Quamquam quid ego tam splendidè mentitus de LÆLIO fui? Habuit ille gratiosos; habuit vnicè iucundos, & caros; sed eos tantùm, quibus ingenua veritas sine assentationis artificio, fucoq. cōmendationem afferebat ad gratiam: raro certè, si minus singulari exemplo; vt quæ veteri, constantique prouerbio, Odium parit, gratiam, amoremque apud LÆLIVM veritas inueniret. Inueniebat verò tàm integrè, vt si quid ab ea molestum LÆLIO afferretur, rei asperitatem eo ipse deliniret solatio, quod verum sine blandientis dolo ingenuè resciebat. Inde animi sui largus, atque munificus, præcipuam semper beneuolentiam suam veritatis assectis largiebatur.

Animi largum, dixi? An non etiam fortunarum suarum liberalis erat FALCONERIVS, cui nullius boni possessio iucunda vnquam sine socio videbatur? At aliorum calamitas magnes semper ipsius auri fuit: Aduersus LÆLIVM debiti chirographum erat indigentia miserorum. Accipiebant Religiosorum Ordinum ædes, accipiebant priuatæ egenorum familiæ: accipiebant pannosi per vrbem pauperes, quibus & erogandam pecuniam suorum præcipuo circumpedum præsentem semper esse voluit, & ad manum; & per hæc vltima præsertim carioris annonæ tempora per viam incedens, & triuia, thesauro misericordiæ plenus, argentum singulis, nec

illud vile sua ipse dextra Princeps amantissimus diuidebat. Quid? Publicum Bononiæ pauperum hospitium, in quod miserrimi ex tota Vrbe plures octingentis, tamquam ad asylum confugerant calamitatum, soluendum mox erat à loci Moderatoribus, à quibus extrema penuria laborantibus, hoc est, ope misericordiæ opibus destituta remittenda erant magna illa calamitosorum agmina in gremium miseriarum. Audijt, indoluitque LÆLIVS: vocari ad se loci Moderatores actutum iussit, ipsorum improbauit cõsilium: Pauperum præsidia nec relinquenda vnquam, nec desperanda: opulentiorum fortunas Ciuium in hæc demum esse infortunia reseruatas. Sisterent confestim sibi, quos ipse nominasset ex Vrbe locupletiores: nihil illos à se iubendos esse, quod sacrosanctis fidei legibus Deus ipse sacris in paginis non præcepisset: In pietatis laudandæ consilium non à se mittendos, sed ituros secum; & se tantùm præeuntem omnibus sequuturos. Igitur pro cuiusque census ratione præstituto singulis certo pecuniæ modo, quem in hæc pauperum præsidia: opportuna conferrent, ipse omnium primus magnum numerauit argentum: mox sequentibus alijs labantem fulsit Misericordiæ domum, & casuros iam miseros, suis, suorumque manibus verè aureis sustentauit. Otiosus hìc essem, si postquam hæc dixi, testimonia quærerem ex Vrbe tota Bononiæ,

niæ, quibus communem omnium beneuolentiam in LÆLIVM comprobarem. Principum liberalitati venalis semper est populorum amor. & nulla vsquam vestigia pronius adorantur, quàm quæ inter aurea beneficentiæ monumenta pretiosè videntur impressa.

Sed hac opportunâ in miseros liberalitate pensabat ille fortassis, quæ importunè ab alijs extorsisset. Immò verò ne allata quidem munera LÆLIVS admittebat. Asseclam suum, qui suo nomine leue munusculum, & se inscio argenteam pateram donatam acceperat, vt primum resciuit, obiurgatione castigauit acerrima, donumque auctori vt referetur protinus imperauit: Non esse se tàm ferreis moribus, qui gratiam suam venalem haberet argento: liberum decere Principem esse, adeòque nunquam induturum se acceptis muneribus compedes pretiosas: ingratissima existimari à se beneficia sua, quæ secum notam illā non efferrent pulcherrimam, gratis. Igitur familiarem suum, gratiosè, instanterque aliquando interpellantem pro alio interrogauit: Ecquidnam profutura ipsi esset gratia, quam à se suis suffragijs impetrasset: statimque in compendia interpellantis, quantum postulans promiserat, tantumdem rependit ipse de suo, ne malè iustitiæ pendens libra, contra ius fasque in partem alteram inclinaret. His verò quis vnquam vidit sanctiora pondera æquitatis?

Vultis-

Vultisne subtilius aliquod de LÆLIO dicam in hoc munerum accipiendorum horrore? Pictam aliquando tabulam donatum illi misere Bononiæ religiosæ cuiusdam familiæ Patres: fuit illa toti propemodum Vrbi spectaculum: dum, an eiusmodi munus auctoribus gratificaturus animo integro posset admittere, non semel, aut leuiter à paucis, sed iterum, iterumque à plurimis constanter, grauiterque voluit inquisitum. Quod vbi & tutè, & religiosè fieri posse cognouit, ità munus accepit, vt illud statim ad alias Religiosorum hominum ædes miserit, & donarit. Laudate iam subtilissimas eas lineas, quas arguto, certamine iterum, ac tertiò inter, ac intrà sese cõmissas duxerunt in tabula Protogenes, & Apelles, traditas deinde cum miraculo in posteritatem, vt ea in tabula spectarentur ne dicam, an potius vt oculorum visum effugerent? Subtiliùs certè multò videtur mihi LÆLIVS in hac tabula pinxisse, in qua supra colorum omnium, & picturæ gloriam integritatis suæ lineas duxit, dicerem in spectaculum, nisi & ipsæ mentis aciem præterirent, & vincerent. Vnam dixi tabulam? Tota LÆLII vita argumentum fuit subtilissimæ probitatis. Sacris operabatur in hebdomadà sæpiùs; imaginem animi retulerat in Sacellum: nihil illo grauius, nihil mundius, nihil magnificentius fuit. Picturas aliquas sacræ Pontificij Legati ædiculæ Bononiæ adiecit; & in eiusdem ædibus simu-

ſimulacrum poſuit INNOCENTIO DECIMO Vaticani ſceptrum Imperij feliciſſimè nunc tenenti: atque ità vno in loculamento geminum ſimul, Pontificis erga ſe beneficentiæ, & ſui erga Pontificem grati animi poſuit ſimulacrum. Cæterum ex ijs eſſe noluit, qui omnia potius viſenda, quàm ſemet efficiunt: & qui extimam domus faciem cum perpulchrè illuminent, & exornent, intimum animi conclaue aranearum telis, ſordibuſque relinquunt. An relinquebat LÆLIVS? ſed ille (vt ex hoc vno argumentum faciam cæterorum) vſque adeò nihil in ſe, rebuſque ſuis deforme paſſus eſt vnquam, vt nihil coram alijs, & in luce publica ſpectandum ageret, ad quod non ſeſe anteà diligentiſſimè comparaſſet. Ità melioribus ſemper agebat curis, quia ſecundis; tanta verò ſolertiæ huius, diligentiæq; conſtantia, vt ad ipſam vſque mortem laudatiſſimũ hunc traxerit morem. Etenim poſt æquè diuturni, grauiſſimique morbi moleſtias pari cum fortitudine exantlatas, vbi nunciũ propinquæ mortis accepit, ſtatim ſeſe ille animus nihil planè menti-nis oſtendit. Non fractus eſt, non concidit, non mutauit, ſed tàm integer, tàm erectus, tàm immotus conſtitit, vt nequaquam de ipſo agi in tanto negotio videri poſſet, niſi quòd audita re ſtatim adiecit: Benè eſt: repetamus igitur per ſacram exhomologeſim totius anteactæ vitæ noxas (idem cum omni ſolertiâ, diligentiâque ante duas paulò

am-

amplius hebdomadas Florentiæ præstiterat, & elapsam vitam ad futuræ formam & modulũ explorèmus. Atq; hic in hoc extremi sui actus apparatu totus ille animus hæsit, mortemq; suã sic erectus audiuit, vt corpori ne leuissimam quidem cogitationem visus fuerit inclinasse. Ita mortalem exuit LÆLIVS moriendo purpurã: sed num ne in æternitatem iuit indecorus, aut nudus? Iuisset certè, si fluxis membris in ostro fulgentibus illustribus meritis animũ non ornasset. Abijt igitur in paludamento virtutũ, regali, vt spes est, donandus trabea felicitatis. Abijt à purpureo Vaticanorum Principum galero, ad pileum, quo donantur ij, qui ex Cælitum cõsulto in libertatem vocantur filiorũm Dei: Abijt à clarissima FALCONERIA domo, ad aulam, regiamq; Ciuium beatorum: Abijt vno verbo ad Cælũ è terris, ab hominibus ad Deum. Romæ incendium Timagenes ipsius inuidens amplitudini vehementer indoluit, quòd sciret meliora esse resurrectura, quàm arsissent. Nemini magnorum mors virorum dolenda magis est, quàm inimicis, qui sciant pereuntis iacturam vitæ in certam, ingentemque immortalitatem nominis abituram. Beneuoli, familiares, consanguinei, postquam ipsorum Heroes concessere fatis, si libitum ità est, oculorũ damno lacrymas oculorum licent: perennitati virtutum forte gaudium voucant, & magnanimitatem. Quid? stantem LÆLIVM suâ illâ fultum sapientiâ posthac non

lice-

licebit aſpicere? Quid intereſt? ſimulacra virtutum ingentia, quemadmodũ Coloſſus ille Rhodius, miraculo ſunt, & cum iacent. At multis magniſque gradibus in amplitudinem purpureæ dignitatis euectus, poſt paucos annos ex ea mortis impetu deiectus eſt: Et hoc magnatum eſt arborum, diù creſcere, vna hora extirpari. At longiorem multò vitam ducere potuit, & debuit: Ignoſcite; non breuiter vixit, vitam qui totam vixit: Quin ſatis etiam maturè morti debitum ſoluit, qui totum ſoluit debitum immortalitati. Querelas igitur commutemus in grates. Abolete licet ſumptuoſum hunc funeris apparatum, exuite pulla veſte parietes, extinguite faces, ſoluite cænotaphium, reponite thura: &, qui tantum vita ſua omni profuit, & coæuis, & poſteris, memori animo pro iuſtis omnibus litemus LÆLIO gratias iuſtiores. Imaginem vultus veſtrorum inter maiorum ceras reponite, FALCONERII: Heroicæ ſimulacrum virtutis ſinite commune, publicumque ſit omnibus, vt per laudantium præconia æternum eat in poſteros. Implebit æternitas, quod in LÆLII laudibus Oratoris ieiunitate inane reliquit hæc hora. Illum etiam laudabunt amplius, qui tantarum in ſe virtutum imaginem repræſentabunt. Magnis quippe viris pulchrior vouetur imitando Panegyricus, quàm laudando.